Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2585

Quelle:
Copyright:

Autor vitae illius *loco ſupracit.* ſcripſiſſet, Tractatum *Haſelbachii* ejusdem argumenti incipere: *Ipſa lumina eccleſie* &c. Ad Magiſtrum tamen aliquem *Viennenſem* ut referam, ſuadet citatus per decurſum interdum *M. Henricus de Haſſia.*

III. *fol.* 112. absque inſcriptione *Tractatus de Vitiis et Virtutibus*, qui infit: *Nunc dicendum eſt de vicijs et aliquibus virtutibus eis oppoſitis* &c. et pertinet ad *Nicolaum de Dünkelspühl*, ut dictum alibi. Adi *Indicem.* Hic ſubſcriptus: *Anno Domini MCCCCXLVIIII.*

IV. *fol.* 235. *Tractatus de Indulgentiis*, cui rubro impoſitum: *M. Johannis Geyzz.* Initium: *Quodcunque ſolueritis ſuper terram* &c. *Hec verba Chriſtus dominus noſter dixit beato petro* &c. Finis: *qui pro neceſſitate eccleſie operatus eſt ad illum continuari.* Subſcriptum: *Anno Domini MCCCCXII.* id eſt 39. *In die ante exaltacionem ſancte crucis.* Iam *Cod.* DCLXXII. ἀδέσποτος indicatus. De Autore mox.

V. *fol.* 245. *Expoſicio*, ut ex calce praeoccupo, *ſimboli apoſtolorum M. Joh. Gews doc. Wyennenſ. Vniuerſitatis.* Incipit: *Quicunque homo habens vſum racionis vult venire in regnum celeſte* &c. Et finit: *et adiuuet qui nos illuc preceſſit Ihesus Chriſtus dominus noſter qui cum patre* &c. *Expoſitionem* hanc jam *Cod.* alio *Nicolao de Gretz* inſcriptam recenſuimus. Eidem etiam tribuunt *Codex* ad *Scotos Viennae*, *Clauſtroneoburgi*, *Lunaelaci*, *Ratisbonae*, ut video in diligentiſſimi *Xyſti Schierii Specim. Styriae literat.* p. 6. *Codex* item *Bibl. Univ. Vien.* unus, cum alter *Joannis de Grätz* nomen praeferat. Voculam *Grätz* vel *Grecz* ex corrupto *Gews*, *Geyzz*, *Geuſs* ortam eſſe, nullus dubito; licet enim in *Hiſt. Univ. Vien.* ad *an.* 1422. memoretur *Johannes de Graz*, is tamen *Iurium*, non *Theologiae* Doctor fuit, neque honores ullos Academicos geſſiſſe videtur, ut ex *Locheri Speculo Acad. Vien.* liquidum fit. Quomodo vero in tanta temporum vicinia *Expoſitio* noſtra a *Nicolao de Gretz* ad *Johannem Gews* vel *Geuſs* transferri potuerit, non facile eſt diſpicere. Fuit tamen uterque ad D. Stephanum Canonicus, uterque Academiam rexit, ille quidem a. 1437. hic vero a. 1427. et iterum 1435. Ortus ex *Teining Palatinatus* ſuper. oppido obiit 1440. relicto etiam *Tractatu de vitiis linguae*, qui fuit: *Nurmberge impreſſus ſolerti induſtria et uigilanti opera per fratres ordinis Heremitarum diu. Doctoris Auguſtini anno incarnat. Dom. MCCCCLXXIX.* 4. ut notat *Roederus* in *Catal. Libb. Sec. XV. Norimb. impreſſor. p. 15.*

VI. *fol.* 265. p. 2. *Sermo de ludo teſſere.* Absque autore. Initium: *Notandum quod in ludo teſſerarum ſeptem committuntur peccata mortalia. Primum cupiditas* &c.

VII. *fol.* 266. p. 2. *Sermo de Morte.* Initium: *Cum de preſentis exilij miſeria* &c. Opuſculum alias inſcriptum *de Arte Morien-*